

sedi cuncta subiciunt ac ad eius deducunt fidelibus studiis unitatem. Fulget enim luce clarius recta fides in principe, conservatur religionis unitas, regni regimen recte dirigitur et tranquillitas in populo custoditur.

(8) Restat ergo, viri prudentes, ingenio floridi et devocione preclari, ut primo et principaliter congregacione per fidem habita vere ac individue trinitatis, sanctam et catholicam militantem ecclesiam vicariam triumphantis reverentibus colamus animis et in ea speciosissimi^{a)} nostri sanctissimi redemptoris, quantum potest humana fragilitas, imitemur, ut consistentibus totaliter sensibus nostris in ipso, quid fidei catholice dicta, quid iurium constitutiones exposcunt, quid swadet equitas et quid consuetudines introducant, ad superne maiestatis laudem et gloriam evidencius comprehendere valeamus.

(9) Quare in ipsius nomine trinitatis studiorum nostrorum assumentes inicia dicimus, quod iste liber sacri cesaris constitutionibus consecratus in quinque partes dividitur, etc.

II. Nikolaus (Abt und Diakon der Kirche von Bari): Lob Friedrichs II. (nach 1235)

(1) *Magnus*¹²⁾ *dominus et magna virtus eius et sapientie eius non est numerus*¹³⁾. Brevis est auctoritas superfecunda et ornata omni lapide precioso^{13a)}. *Non aurum preciosius hac*^{b)}, *non clara iacinctus, Vas modicum sed mirificum, quod murmurat intus homo sed cor*¹⁴⁾. Citharedus mirabilis et prophetarum eximius rex David in premissa auctoritate de duobus imperatoribus prophetavit, videlicet de celesti imperatore, qui ventis et mari imperat¹⁵⁾, qui dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt universa¹⁶⁾, et de terrestri domino Fr[iderico] imperatore magnifico uncto oleo leticie¹⁷⁾ pre regibus universis; primo prophetavit de filio, secundario de successore in regnum¹⁸⁾.

a) spo mit Kürzungsstrich und hochgestelltes mi Hs.; zu lesen vielleicht spiritum. b) So statt durchstrichenem habetur Hs.

¹²⁾ f. 233'—235. ¹³⁾ Ps. 146, 5. ^{13a)} Eccli. 50, 10; Apoc. 21, 19. ¹⁴⁾ Non aurum — cor höchstwahrscheinlich Zitat (bis intus zwei Hexameter mit Endreim), konnte nicht nachgewiesen werden. ¹⁵⁾ Matth. 8, 26. ¹⁶⁾ Ps. 148, 5. ¹⁷⁾ Ps. 44, 8. ¹⁸⁾ Kaiser als Nachfolger Christi im „Reich“, vgl. E. Kantowicz, Kaiser Friedrich II., Ergänzungsband (1931) S. 206 „vicarius Christi“.